



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Decimum Octavum. Encomium Marianum Vigessimum Primum.
Sedes Sapientiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

*Encomium Marianum Vigessimum
Primum.*

SEDES SAPIENTIÆ.

Quemadmodum paulo ante Virginis
 Deiparentis summam *prudentiam* S.
 mater Ecclesia filijs suis proposuit *Virginem*
prudentissimam eam salutans, ita & in mo-
 derno Encomio à *sapientia* (quæ inter do-
 na Spiritus sancti non postremum obtinet
 locum) eam celebrat, *Sedem Sapientiæ* eam
 compellans, indubie desumpta occasione
 ex loco illo sapientis qua *Anima justæ dicitur*
esse sedes sapientiæ. At longe ampli⁹ convenit
 gloriosissimæ huic Virgini esse *sedem sapien-*
tia: in qua quidem & filius & *sapientia* æter-
 ni patris sibi habitaculum fixit, & divinus
 ille Spiritus ab æterno patre unigeni-
 toque filio ejus procedens, septiformis
 gratiæ suæ munera, ac inter ea singulariter
sapientiæ donum collocare voluit. Nec in-
 congrue imo SS. P. testimonio conformi-
 ter ipsam accipimus pro sede illa, quam in

visione sua Apocalyptica se asserit vidisse dilectus Domini discipulus, cap. 4. *Ecce in-
quiens in celo sedes posita erat & supra sedem
sedens.* Ipsa siquidem sedes illa est, in qua Dominus Dominantium humana carne indutus, novem mensibus sedere non est dedignatus.

§. I.

HAnc ipsam sedem in spiritu prævidisse se videtur *Psaltes Regius* in Psalm. qui ordinarie in officio & laudibus *Marianis* decantari consuevit, *Eruet a vit cor meum
verbum bonum.* In eo siquidem cum primo dixisset: *specie tua & pulchritudine tua inten-
de prospere procede & regna,* paulo post sub-
jungit: *Sedes tua Deus in seculum seculi:* atque ut de virgine Matre *sede sapientie* manite-
stius se loqui ostendat, mox addit, *virga di-
rectionis, virga regni tui:* jam vero commu-
niter ab omnibus sanctis Patribus, virgæ nomine *Virgo B.* designatur: unde melli-
fluus *Doctor Bernardus* Matrem *B.* salutans *serm. 2. in adventu:* *O virgo* inquit *virga su-
blimis, in quam sublime verticem sanctam eri-
gis, usque ad sedentem in throno usque ad Domi-
num majestatis? neque id mirum, quoniam in*
altum

altum mittis radices humilitatis ô verè cœlestis
planta, pretiosior cunctis sanctior uniuersis. Eo-
dem fere modo Doct. Eccl. Hieronymus ex-
plicans locum Isaiæ, Egredietur virga de ra-
dice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, &c. Per
virgam intelligit Virginem gloriosam: Nos
inquiens lib. 4. in cap. II. Isaiæ, virgam de
radice Iesse, sanctam MARIAM Virginem
intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem
coherentem, de qua supra legimus: Ecce virgo
concipiet & pariet filium. Quod si juxta Pro-
phetam supra florem ex hac virga proce-
dentem requiescit Spiritus Domini, Spiritus
sapientiæ & intellectus, Spiritus confi-
lij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pieta-
tis, repleatque eum Spiritus timoris Do-
mini: indubie etiam super virgã floris ger-
minatricem, idem spiritus saltem mediate
requiescit maxime cum jam ante eam ob-
umbrasse & in eam supervenisse ab Ar-
changelo Gabriele fuerit prænunciatum. Si
autem florem ipsum, in & ex ea germina-
tum consideremus esse sapientiam ipsam,
quæ ex ore altissimi prodijt, ante omnem crea-
turam, jam manifeste & luce meridianâ clarius
exstat Virginem benedictam sedem sapientiæ,

ab Ecclesia & sedem Dei à Psalmista nuncupatam in Psalmo jam ante citato.

§. 2.

VEre igneus virginisque Matris amore flagrans Igniacensis Abbas Guerricus absque ulla dubitatione ipsam Virginem Matrem per sedem istam à Psalmista adductam intelligi asserit serm. i. in Annunt. *In ipsa inquit & ex ipsa sapientia edificavit sibi domum, in ipsa & ex ipsa paravit sibi thronum: cum in ea & ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum quod primo ei fuit tabernaculum ad pugnandum & cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes David patris eius, quam ei dandam promittit Angelus: non quod David in ea sederit, sed quod ex semine David assumpta & fabricata sit. Et certe si sedes David ipsa non est, tamen sedes tua Deus in seculum seculi ipsa est. Pari modo hujus sedis præeminentiam & dignitatem paulo clarius idem Guerricus ob oculos ponit serm. i. in Assumpt. explicans verba Cant. *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: Non poterat iniquis signantius aut elegantius describi prerogativa**

tiua glorie ejus, quam ut thronus Dei regnan-
tis esse diceretur: nulli siquidem anime tanta
plenitudine aut familiaritate copiam sui divi-
na Majestas videtur indulgere, sicut illi in qua
specialiter præ ceteris residere delegerit. Disci-
pulis quidem Dominus loquebatur qui paupe-
res facti pauperem sequebantur. In regenera-
tione cum sederit filius hominis in sede maje-
statis sue, sedebitis & vos super sedes. Alibi quo-
que promittit idem Agonotheta noster de celo
spectans & incitans decertantes. Qui vicerit
inquit, dabo ei mecum sedere in throno meo si-
cut & ego vici & sedi in throno patris mei. Ma-
tri vero cuius longe differens est meritum, ni-
hilominus differens promittit premium. Veni
inquit electa mea, & ponam in te thronum me-
um. Parum est inquit ut judicanti confedeas, ni-
si & ipsa mihi sedes fias: ut majestatem regnan-
tis eo felicius, quo familiarius in te contineas,
& specialius præ ceteris incomprehensibilem
comprehendas. Continuisti parvulum in gre-
mio, continebis immensum in animo. Fuisti di-
versoriū peregrinantis, eris palatium regnan-
tis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo,
eris solium triumphantis in cælo. Fuisti thala-
mus sponsi incarnati, eris thronus Regis coro-
nati.

nati. Et paulo infra. Dicuntur quidem & sunt alij throni quidam scilicet spiritus divini, præ alijs ut putamus subjectis ordinibus Dei presidentis majestate pleni: sed & anima cujuslibet iusti dicitur sedes sapientie. Quæ autem nunc est sedes sapientie profecto tunc erit & gloria. Si igitur illud cæli palatium plenum sedibus & thronis sedeat quæ Deus in omnibus accommodans se, & aptans cuique pro meritis: non immerito tamen creditur sine injuria vel invidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum, & elevatum super gloriam omnium MARIAM, dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se. Mater nisi filium solum: nihil miretur supra se Regina, nisi Regem solum, nihil veneretur supra se mediatrix nostra, nisi mediatorem solum.

§. 3.

ET in hanc ipsam Virginem à Salomone prænuntiatam convenientissime asseritur Prov. 9. Sapientiam ædificasse sibi domum & excidisse columnas septem: quem locum licet Dionys. Carth. alijque non pauci Patres de Incarnatione verbi divini, ac mysterijs ejus accipiant & interpretentur, ut intelligatur nimirum increata sapientia ædificasse

casse sibi domum, id est corpus quod for-
 mavit & assumpsit ex purissimis Virginis
 sacratissimæ sanguinibus, in eaque septem
 columnas exciderit; id est assumptam hu-
 manitatem septem donis spiritus velut to-
 tidem columnis fulciet stabilieritque! li-
 cet inquam congruentissimè ita accipia-
 tur locus prædictus: non tamè minus con-
 gruenter quoque per domum quam *sapien-*
tia increata sibi ædificavit, virginem glo-
 riosam intelligi, testis est in jam ante citatis
 verbis suis *Guerricus Abbas*: testis est & mel-
 lissimus *Doctor Bernard*. serm. suo panegy-
Quando ait enim placuit gratiæ supernæ ut ha-
bitaret in nobis à quibus diu elongata fuerat. tu
sola inventa es digna ut in tua virginali aula,
Rex Regum & Dominus Dominantium, à Re-
galibus sedibus veniens primam sibi mansio-
nem inter filios hominum eligeret. Vere bene-
placitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa
illibata carnis tuæ substantia, quasi de lignis Li-
bani architectura ineffabili domum sibi ædifi-
cavit Dei sapientia, suffulsit eam septem colum-
nis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit.
Hi sunt septem spiritus Dei, & hæc est unica il-
la Salvatoris fœmina, in qua sola quesitam in-

omnibus requiem invenit, atq; in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Et æquè disertis verbis Dionys. Carthus. explicans Cant. verba: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*: Hoc *ferculum* inquit ipsemet *Christus* secundum quod *Deus* fecit, corpus benignissimæ *Virginis*, per causas secundas formando, cujus & materiam in exordio produxit ex nihilo, animam quoq; ejus felicissimam per se immediate creando. *Columnas* fecit *argenteas*: unde *Prov. 9.* scribitur *sapientia* edificavit sibi domum, excidit columnas septem, per quæ septem dona *Spiritus sancti* accipiuntur, quæ fulciunt & sustentant animam eis ornata.

S. 4.

Porro uti docent Philosophi ex actibus colligere licet dona & habitus, qui ex ijs procedunt; sic hominem quem videmus cœpius temperanter vivere, judicamus habere habitum temperantiæ. Nec defuerunt virgini sapientissimæ actus, qui eam dono sapienti sublimissime decoratam demonstrarent, siquidem fuit doctissima, & maxime erudita in lege divina.

na. Sic attestante & probante *Carth. in cap. i. Cantic. sicut* inquiens *incomparabilis atque mundissima virgo fuit præ cunctis in utero materno supernis charismatibus adimpleta, ita mox ut ratione uti cæpit assidue in eisdem præ omnibus profecit, sicq; quo excellentiori puritate mens ejus præelecta coram altissimo radiavit, & quoad proficiendum in omni virtute ac sapientia vigilantior, instantior, seriusior fuit, eo eminentius ac munificentius omni hora à spiritu sancto ungebatur, illuminabatur, accendebatur & incomparabiliter crevit, & quo specialius fuit ex Deo avidius Dei verba advertit, fuitq; studiosa & erudita in lege. Ac sicut testatur Ambr. ipsa legit in Esaia: Ecce virgo concipiet: & antequam filium Dei conciperet, novit mysterium sanctissimæ Trinitatis, &c.*

Amplius dilucide demonstratur Virginem gloriosam sapientia non solum creata, sed etiam divina instructissimam fuisse, ex eo quod alijs quamplurimis illam communicaverit: ex innumeris alijs sint pro exemplis SS. *Albertus Magnus, Rupertus Abbas Tuitiensis, & Hermannus Contractus.* De primo referunt vitæ ejus scriptores, quod cum tardioris inter cæteros

con-

condiscipulos esset ingenij, nec cum eis in studijs pergere posset, ac quotidie confusione pateret, volens propter hoc è monasterio aufugere & de facto scalam muro ad transcendendum applicasset apparuit ei ejus misertus virgo beatissima, cumque causam investigasset eum consolatus optionem quoque dedit eligendi scientiam quam præoptasset: elegit ille philosophicam quam etiam cum Theologica mox consequutus est: pro pœna tamen quod vanam scientiam præ divina elegisset impositum, quod triennio ante mortem omnem quam habebat scientiam amitteret uti & post factum est. Non absimili modo *Præsul Tuitiensis Rupertus* suam Doctrinam, & sapientiam soli debet inter Matres Virgini. Hic enim à juventute monasterium *S. Laurentij* in Besbruck prope Trajectum ingressus, idiota cum esset Deiparentem assiduis precibus exoravit, ut à filio sapientiæ fonte, scripturarum intelligentiam sibi impetraret. Cui apparens illa: *En tibi inquit omnium scripturarum arcanapatebunt, ita ut neminem tibi hoc tempore habeas similem, tantumne torpescas otio & gratiã tibi datam ne negligas.*

gas. Communicavit & alia secreta dilecto suo misericordiae Mater, quæ fassus ille est non se ausum expromere, quemadmodum edocet præfatio quam præmisit libris commentariorum in *Cant. Canticorum Salomonis*. *Hermannus* deniq; *Contractus* qualè quantumque habuerit scientiam, & sapientiam, & unde eam hauserit docet in hunc modum. *Menolog. Bened. P. Gabrielis Bucelini*: *Hermannus cognomento contractus*. *Infirmus cum esset valetudine ex eaq; contractis membris, & impeditiore ingenio huic remedium ab unica sua, & ordinis Tutelari Deiparente flagitans, ardentissimis precibus matrem misericordiae flexit, caeloq; deductam intueri meruit. Optione data sani & integerrimi corporis, siue membris omnibus præter linguam ac manum invalidis, ingenij tamen juxta ac sapientia, & eruditione exculti utrum mallet eligeret: posterius elegit & annuente mox virgine, ex eo tempore beneficio tam beneficae matris tales progressus in literis fecit, ut corporis defectum mentis viribus opibusq; facile sarciret tantus in omni literarum genere & cognitione effectus, ut merito universis ætate sua eruditus superior nedum equalis haberetur, latinam, graecam, hebraicam & ara-*

& ara-

& arabicam perfectissime calleret, suiq; ingenij
 & felicitate dignissima posteritati destinaret
 monumenta, in cuius scriptis omnibus mirus
 sane & memorabilis ille Augustissima cœlitum
 Imperatricis favor proditur & declaratur. Cui
 ipse, ut eterno quoq; grati animi monumento
 amorem suum testaretur, dignissimū sane, ter-
 risq; non solum, sed & cœlo ac cœlitibus uni-
 versis jucundissimum melos celeberrimum il-
 lud Canticum SALVE REGINA excogitavit,
 verbisq; ac notis musicis suavissime composuit,
 summo bonorum omnium plausu, & ordinis
 maxime nostri ornamento ac gratulatione. Com-
 posuit & illas celebres item decantatissimasq;
 toto orbe, totq; sæculis Antiphonas: ALMA
 REDEMPTORIS MATER: & AVE REGI-
 NA COELORUM &c. pluraq; alia in Ecclesia
 & olim & hodie recepta.

Ex quibus profecto ni fallor, satis super-
 que declaratur, & innotescit: quam vere
 dicta sit Bm̃a Mater *sedes sapientie*: Ex
 qua nimirum tam abunde alijs sapientiæ
 dona communicantur: innotescit quoque
 qua in æstimatione sapientiam ejusq; ama-
 tores in pretio habeat ipsa eadem sapien-
 tissima virgo. Ut non immerito de se ipsa

ver-

verbis sapientis Sap. 7. proloquatur: *Invoca-
vi & venit in me spiritus sapientie, sceptris ac
solijs illam anteposui, prae eaq; divitias pro nihi-
lo aestimavi. Nec verò ei lapidē pretiosum com-
paravi, quoniam aurum cum ea comparatum
arena est exigua, & lutum existimabitur argen-
tum cum illa comparatum. Supra sanitatem ac
formae pulchritudinem dilexi illam, atq; ea ma-
lui quam luce frui, ut cujus splendor non potest
supprimi. Accesserunt autem mihi omnia bona
pariter cum illa: divitiarq; innumerabiles per
manus illius. Et paulò post Eam sine fraude
percepi sine invidia communico, divitiasq; e-
jus non abscondo, inexhaustus enim thesaurus
est hominibus &c.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

*Encomium Marianum Vigésimum
Secundum.*

CAUSA NOSTRÆ
LÆTITIÆ.

INter præclarissima laudum præconia
quæ Iraëliticus populus triumphanti
Judith obvians concinuit, fuere: *In gloria Ie-
rusa-*